Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26827
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Incipit tractatus aurelii augu
stini super psalterium a quin
quagesimo primo psalmo usque cente
simum.

PSALMUS
BREVIS
EST. DE QUO LOQUENDUM
suscepimus caritati vestre. sed titulum habet
aliquantulum negotiosum. Patienter ergo susti
nete nos donec illum enodemus ut pos
sumus quantum adiuverit dominus. Neque enim
passim pretereunda sunt hec. quandoquidem pla
cuit fratribus non tantum aure et corde sed et sti
lo excipienda que dicimus. ut non audito
rem tantum sed lectorem etiam cogitare debe
amus. Nata est quidem occasio psal
mo huic ex re quadam gesta. quam vo
bis etiam fecimus recitare. de libro regno
rum. Saul enim rex non ad permanendum
electus a domino. sed secundum populi cor durum et
malum datus ad eorum correptionem non ad
utilitatem. secundum illam sententiam scrip
turarum que ait de deo. qui regnare
facit hominem ypocritam propter perversi
tatem populi. Cum ergo talis esset saul. perseque
batur david. in quo deus prefigurabat
regnum salutis eterne. Et quem deus elege
rat permansurum in semine suo. quan
doquidem futurus erat rex noster rex seculorum.
cum quo regnaturi sumus in eternum.
ex semine ipsius david secundum carnem.
Cum ergo david deus elegisset et preelegisset
et predestinasset ad regnum. noluit
et ipsum david ante regnum tene
re. quam primo a persequentibus liberaret.
ut etiam in hoc ipso figuraret nos. id
est corpus eius. cuius corporis caput christus est.
Porro enim si ipsum caput nostrum sine
primo pacto labore in terra. regnare in
celo noluit. neque levare sursum corpus
quod deorsum accepit. nisi per tribulationis
viam. quid audent membra sperare capite suo
magis se posse esse felicia. Si patrem fami
lias beelzebub vocaverunt. quanto
magis domesticos eius. Non ergo speremus
molliorem viam. Qua precessit eamus.
qua duxit sequamur. Si enim a vesti
gio eius aberraverimus. perimus. In hoc ergo
david quid prefigurabatur videtis.
ergo et in saul quid prefigurabatur videtis.
regnum malum in saul. regnum bonum
in david. Mors in saule. vita in da
vid. Etenim nos non persequitur nisi mors. de
qua in fine triumphabimus dicentes.
Ubi est mors contentio tua. Ubi est mors
aculeus tuus. Quid est quod dico. non nos
persequitur nisi mors. Quia nisi mortales
essemus. non esset quod nobis faceret inimicus. Num
quid enim angelis quicquam facit. Ergo etiam
ipsa mors a qua maxime habemus
persecutionem cum finitur in fine eter
no. cum resurrexerimus a mortuis. sic fi
nita est in capite nostro. sic finietur et
in nobis si iusti fuerimus inventi. Nam
mortuus ille mortis interfector fuit.
et magis in illo mors mortua est. quam
ipse in morte. Denique etiam nomen ipsum
si attendamus non est sine mysterio. Nam
saul interpretatur petitio. hoc est appetitio.
Quid enim dubitare debemus nos nobis fecis
se mortem istam. A peccato enim hominis nata
est mors. Merito ergo ipse sibi homo appe
tivit mortem. et ideo petitio nomen est
mortis. Nam sic scriptum est deus mortem non fecit.
nec letatur in perditione vivorum. Crea
vit enim deus omnia ut essent. et sanabi
les fecit nationes orbis terrarum. Et unde mors
tamquam quereres. impii autem inquit